

tum fuisse imputatum ab Adamo, per totum illud tempus quod ab illo usque ad Mosem interjectum est.

## CAPUT VI.

Infantes peccavisse ad transgressionis Adami similitudinem. Et de variis similitudinis acceptionibus.

**A**T, quàm facile abyssus abyssum invocat, tam proclivè est incommodum sequi incommodum. Hinc factum est quod Interpretes, qui noluerunt peccatum fuisse imputatum ab Adamo usque ad Mosem; cum venerunt ad illam partem decimiquarti versus hujus capituli, quâ dicitur: Mortem regnavisse, in eos etiam qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami: cogitaverunt dissimilitudinem inter peccata adultorum, & peccata infantium: inter peccata actualia, & peccata originalia: de quibus nec minimam fecit hic mentionem Apostolus: hic enim non erat hic locus. Voluerunt scilicet Interpretes, Apostolum intellexisse hoc loci; Infantes non peccavisse ad similitudinem transgressionis Adami, quia non peccaverant actualiter quemadmodum Adamus peccaverat. In eos tamen mortem regnavisse sicut in adultos, qui peccaverant actualiter, quemadmodum (ut autumant) Adamus peccaverat: ac proinde (ut sibi volunt) ad transgressionis Adami similitudinem.

Verùm quærerem: Quâ ratione potuisset mors actualiter regnare in Infantes, quemadmodum mors eadem regnaverat in Adamum: nisi Infantes actualiter peccavissent quemadmodum Adamus peccaverat? Quâ ratione, inquam, potuissent Infantes mori revera & actualiter, ad similitudinem mortis quæ infligebatur ex peccato Adami: neque  
pecca-